



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XXIII. De veritate tertiæ Orationis Canonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

CAPVT XXIII.

De veritate tertia orationis Canonis.



RATIO TERTIA Canonis incipit ab illis verbis: *Quam oblationem tu Deus in omnibus; & continuatur vsq; ad finem consecrationis.*

PRIMA obiectio Lutheri est loco supra notato, qui obiicit nos hic orare pro Christo, & mediatores nos facere inter Christum, & Patrem, ac Deum rogare, vt benedicat, & sanctificet corpus, & sanguinem Christi.

AT Lutherus non videtur memor fuisse verborum Canonis, cum hæc scriberet: non enim oramus pro Eucharistia consecrata, sed pro pane, & vino consecrando, neq; petimus, vt Deus benedicat, & sanctificet corpus, & sanguinem Christi, sed vt benedicat, & sanctificet panem, & vinum, vt per eam benedictionem, & sanctificationem fiat corpus, & sanguis Dñi.

SECUNDA obiectio est eiusdem Lutheri ibidem contra illa verba: *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris: Porrenta, inquit, illa verborum neque ego intelligo, nec stolidus ille qui scripsit.*

AT ista eadem verba habentur apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. & exponuntur multis, & variis modis elegantissimè ab Alcuino, Amalario, Ruperto, Hugone, Innocentio, Bonauentura, & aliis. Literalis expositio, vt ex Alcuino, & Hugone atque Innocentio colligitur, hæc esse videtur. Petimus a Deo, vt ipse oblationem nostram consecrando, benedictam ex prophana efficiat; eandem approbando, faciat adscriptam, id est, adscribat, & numeret inter dona, quæ ipsi probantur; confirmando ratam efficiat, id est, stabilem, & firmam, vt fructum eertum, & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, vt non solum bona, sed etiam benè, rationabiliter, & prudenter offeramus, ac sit rationale obsequium nostrum, iuxta Apostolum Roman. 12. Denique acceptabilem faciat, id est, ita vndique benè se habentem, non solum ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis, vt digna sit, quæ a Deo acceptetur. Vide plura apud auctores allegatos.

TERTIA obiectio est Kemnitij SEPTIMA apud ipsum. Scribit autem Kemnitius hanc orationem haberi quidem apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. & apud Augustinum

Gggg 4 referente

referente Gratiano canone Vtrum, de consecrat. dist. 2. scilicet sensum habere ista verba apud Ambrosium, & Augustinum, alium autem apud Pontificios: apud illos enim refectionem sumptionem Sacramenti, apud nos ad representationem.

SECOUNDO in multis peccat Kemnitius. PRIMO, quod non probat id, quod se probaturum suscepit. Volebat enim, ut supra notauimus, demonstrare errores Canonis; quæ autem nunc adfert, non pugnant contra Canonem, sed contra sensum, in quo illum Pontificij accipiunt.

SECUNDO, perperam allegat Augustinum: nusquam enim illa exstant apud Augustinum; sed partim apud Ambrosium loco notato, partim apud Paschasium in libro de corpore Christi, cap. 4. quamuis in hac re Gratianus quoque videtur fuisse deceptus.

TERCIO, fallitur apertè, cum scribit, Augustinum illa verba *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, &c.* interpretari de sumptione Eucharistiæ, quasi, iuxta errorem Lombardianorum, in sola sumptione putauerit Augustinum panem esse corpus Christi, per quod benedicimur, adscribimur, &c. Nam Augustinus, ut dixi, nusquam habet aliquid eiusmodi: Ambrosius autem, ex quo Paschasius, & Gratianus perit; non de sumptione, sed de consecratione illa operatur, ut patet legenti caput 5. lib. 4. de Sacramentis. Non obstant illa verba eiusdem AMBROSII, quæ falso Kemnitius Augustino tribuit: *Quia in Baptismo similitudinem membris Christi accepimus, similitudinem quoque carnis, & sanguinem eius sumamus.* Nam illa dicuntur ab Ambrosio alio loco in libro de officiis cap. 4. lib. 4. & ad alium finem.

QUARTO, mentitur Kemnitius, nomen oblationis in oratione Canonis: *Quam oblationem tu Deus, &c.* à Pontificiis detorqueri ad actionem sacrificuli, cum reuera de pane, & vino dicatur. Nullus enim tam fuit vnquam absurdus, vel insipidus, ut non videret nomen oblationis hoc loco ad panem & vinum, non ad actionem posse referri, siquidem à Deo postulat, ut hanc oblationem ita benedicat, ut ea fiat nobis corpus, & sanguis Christi. Quis enim vel per somnium dicere actionem debere fieri corpus Christi? Sed bene facit Kemnitius, cum ista mendacia de Catholicis fingit, quod nullum citat, neque librum vllius nominatim indicat, ne videlicet mendacium statim deprehendatur.